DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XIX. NOVEMBRIS
M. CLAVDIO QVARTIER, Doctore Medico, Præside.

An somnolenti vitæ breuiores? 1026

SOMNI & vigiliæ vices assiduas iuxta & necessarias solis animantibus indulsit Natura, horum alterutrum nulli vsquam fuit satis: vtroque carere vnis stirpibus datum, quas appetitu duci, teneri desiderio, tristitia voluptate affici, verbo dicam sentire, caue cum Anaxagora, vel Empedocle sentias. Hæc siquidem τῶ περὶ τὸ αἰσθητικὸν πάθη nihil ad ea viuentia attinent, ad quæ vis sentiendi ἐλλαμψιας τῆς ζωῆς nullo iure venit, cuius tamen prima rudimenta & vestigia, ac quemdam veluti ψελλισμὸν in ambigua gente τῶν ζωοφύτων, luculentiora in insectis comperies: perfectis verò animalibus αἰτία quæ in aëre versantur, vel aquis terrave degunt, vtriusque necessitas prima, multoque illustriora documenta: hinc tempestiua illa συνοχὴ τῆς κινήσεως vacationem missionemque temporariam, fessis partibus, exhaustis spiritibus recreandis, instaurandis procurat, quam somnum dicimus, externorum sensuum iuge vinculum: illinc ad opera sentientis animæ ἐγκύκλια denuò reuocati illi, qui huius mancipio tenentur, vi ruptis, vel vltrò solutis vinculis liberi, dum quod est animæ satagunt, vigiliam exhibent, quæ pars vitæ potior primaque & vltima animæ sensitiuæ perfectio.

HANC si è re æstimes, primos vitæ carceres vigiliam aperire, cuius postremam lineam claudat somnus, illico dixeris; siue hunc insita τοῦ ἰκμαλέου, quæ vna vitam fouet, vbertas sollicitet: siue nil occupato corde, in ipsam mentis arcem vel ἀνάλογον suauis ac planè ἀμοιβῆς halitus alimenti furtim obrepat, siue non vltra ferendus operarum labor, exhaustis emeritisque spiritibus naturalibus, vitalibus, animalibus, id iustitij impetret: vnde nec vitam ex æquo somnus cum vigilia diuidit, licetque sua cuique iusta sint, quæ ampliare aut minuere nec sanis ipsis impune datur, vigilia περιττά sibi habet, an quia præ coctione (quæ somno tempestiuior & felicior) negotiosum magis huius munus est ἀνάδοσις? an quia in partem ipsa venit quoque naturalis λειτουργίας? dum improbum solicitioris excretricis laborem acriùs adurgendo, alibilis succi puritati assiduè consulit; cuncta denique vtriusque animæ alia opera quæ διακρίσει, aut συγκρίσει debentur, promouet diligentiùs, quâ quidem gratiâ gaudent maximè φλεβώδεις, excidunt ἀδηλόφλεβοι, ἰσχνώδεις, μεγαλοκέφαλοι procliui lapsu in veternum germanumque lethi soporem.

VT somnus mortis, sic vigilia vitæ melioris imago, sospita & vindex naturæ animalis. Tandiu quippe viuere illi datum est, quandiu & operari: vitam proinde, quam oscitanter nimis videtur expressisse otiosa illa philosophi διαμονὴν, per ἐνέργειαν Galenus commodiùs definiuit. Quid enim amabo antiquius habet forma viuentis? quam vt ὀρεκτικῶς καὶ κινητικῶς τοῦ ὀργάνου huius se probet ἐντελέχειαν, paratumque vitæ muniis exercendis κατὰ τὰς δὲ χρείας περὶ διοργανώσεως corpus inueniat. Quanquam quid immortale in eo manus mortales fecerint? quod ex contrariis naturis conflatum, semina fatalis τοῦ ἐκστατικοῦ retinet semper, sic vt iugo addicta viuentis formæ, ipsa quin etiam tum formis destituta elementa corporum, nec odium inter se, nec spem repetendorum penatum vllo tempore deponant. Hâc patet genitis omnibus regia ad interitum via, à qua nec deflexit temperatus licet fictusque in vitæ modum elementaris calor, qui nobis insitus, ἀρχέγονος vitam beat & protollit, spiritu humoréque primigenio vndique perfusus ne ignesceret, vitalemve fundum maturiùs diffunditaret; hæc enim illum ab indole sors manet, quod vitale eiusmodi principium perenni obnoxium διακρίσει, in temperamenti insiti nulla reparabilem arte ruinam sensim inclinet; quia nec par, nec tantum potis est reponere: hinc altera illa μοῖρα πεπρωμένη ἐν τοῖς ξυμμίκτοις posita, quum impurum pro puro iniquiore conditione redhibet.

NON alia lege tardiùs ociùs versatur vrna. Toto aberras cœlo? si productioris vel breuioris æui beneficia, maleficia cœlo syderibusve, plenus vanissimæ δεισιδαιμονίας imputes? animo prorsum excidisti, si aduertas ad figuratos lapides Cabalæ delirantis, pharmaca constellata, Gamahæas, impias imagines & præstigias Medeæ Æsonem recoquentis, delira Philippi περὶ ἀγηρασίας commenta. Genium tute ne defraudes tuum? quod ad vitæ moram demensi satis est, ortus dedit; non partium, sed viuifici Nectaris molem attende, dotes æstima; huius vbertate durat vita, paupertate fata aduolant, si pingue, aëreum, μὴ περιπλαματικοὶ vel ipsa properantia sufflaminabit, secùs δυξήραντον, δύσπηκτον fore intelligas? vnde pro huius natura & lege animalibus viuaciora φυτά, atque ex his maximè τὰ ἀείφυλλα; sanguinea exanguibus, aquatilibus pedestria; in hominum etiam genere vir muliere μακροβιώτεροι, cui meliore luto corpus ἴσον obtigit. Quanquam raro quidem corporis habitu preditis Isthmum vitæ breuiorem concessit Natura, sed quem salubritate compensauit.

VIX vlli tamen humidi primigenij penuriâ, sæpiùs vitio diem suum maturiùs obire contigit; illud errore vitæ, quàm insiti caloris auiditate vernacula, luculentiùs decoquere quisque solet. Omne igitur feret votum vitæ longæuioris, omen breuioris auertet, qui vitalis huius humidi consuluerit puritati, paratos in animæ obsequia spiritus continuerit in procinctu, libera & expedita curauerit partium commercia; Quibus commodis si benè calculum ponas, φίλυπνοι vltro renuntiant, his quippe situ plurimo dum torpent, languentque otio inimicissimo ignaua παροξυσμῶν, protinus naturæ atque animæ vires laborare, officia deseri, vel obiri indiligentiùs necessum est; excrementorum copia, aliena qualitate & mora partes corporis singulas quaqua versum obrui, inquinari & corrumpi; communis vitæ commercia tum κατὰ μέ-cùm etiam κατ' οὐλομελίαν, si non omninò intercipi, impediri saltem: est quod mirere contraria ab vno experiri eos maleficia, perfrigerari, calescere impensiùs, colliquari tandem & exolui, ore ac vultu τοις νεκροῖς συγχωματίζεσθαι: hinc ex animalibus somniculosa maximè minùs durant, veluti τὰ φωλεύοντα quæ somno saginam cædunt, aluntque ieiunijs: neque his etiam vitæ longioris fiducia, quibus datum est senectam exuisse; dicam compendio, quod flammæ ῥίπισις, id vitæ vigilia. Ecce vellit aurem Homericus Eumæus ἀνίη καὶ πολὺς ὕπνος.

Ergo somnolenti vitæ breuiores.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Claudius le Vasseur.	*M. Michaël Marés.*	*M. Ioannes Merlet.*
M. Dionysius Ioncquet.	*M. Martinus Akakia Professor Regius.*	*M. Iacobus Perreau.*
M. Iacobus Gauois.	*M. Leo le Tourneurs.*	*M. Ioannes Degorris Medicus Regius.*



Proponebat Lutetiæ PHILIPPVS DOVTE', Bituricensis. A. R. S. H. M. DC. LIV.